



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCIII. Ioannis Papae VIII. Ad Pavlvm Et Evgenivm Episcopos.  
Constituit eos vna cum Petro presbytero legatos, vt, sicut illos monuerat,  
pacem in ecclesiae Constantinopolitana confiant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

tia. Et iterum dicit: *Sustinentes in uicem in dilectione, satis agentes seruare unitatem spiritus in coniunctione pacis:* quoniam nec habere pacem cum Deo poterit, qui cum fratribus pacem per zeli discordiam non habuerit. Quam igitur sibi pacem promittunt inimici fratrum? quae sacrificia celebrare se credunt sacerdotes, caritatis Dei qui non sunt vestite induiti? Pacem nobis Christus dedit; *Pacem*, inquit, Ephes. 4. *meam do vobis, pacem relinquendo vobis:* concordes, atque unanimes esse præcepit: dilectionis, & caritatis fœdera incorrupta, atque inuiolata mandauit. Et ideo vestram salutem cupientes, monemus, & apostolica benignitate iubemus, vos omnes sanctæ ecclesiæ vniri, vestroque patriarchæ, Photio videlicet, quem pro ecclesiæ Dei pace, & unitate recepimus, adhærere, communicareque stude. Nam si hæc nostra apostolica monita tantis supradictis testimoniosis diuinis firmata audire contempseritis, in vestra pertinacia manere volentes; scitote quia missis nostris præcepimus tamdiu vos omni ecclesiastica communione priuare, quamdiu ad unitatem corporis Christi, & ad vestrum contempseritis redire pontificem. Nec aliquis vestrum hanc habeat in redeundo excusationem, pro scripturis de hac causa compositis; quia diuina potestate, quam accepit ecclesia Christi, cuncta soluuntur vincula, quando per pastoralem auctoritatem, quæ fuerant ligata soluuntur: quoniam sicut dicit sanctus papa Gelasius, nullum est vinculum insolubile, nisi circa eos, qui in errore persistunt. Data mense Augusto, indictione XII. die XVI.

*Missa per Petrum presbyterum.*

In tomo de  
anathema-  
tis vinculo.

## EPISTOLA CCIII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD PAVLVM ET EVGENIVM EPISCOPOS.

Constituit eos vna cum Petro presbytero legatos, vt, sicut illos monuerat, pacem in ecclesia Constantinopolitana confiant.

• *Reuerendissimis Paulo Anconitano, Eugenioque Ostiensi episcopis.*

**Q**VAM VIS contra nostram egeritis voluntatem, & Constantinopolim venientes, inquisita causa eccl- Concil. Tom. 24.

Hh

six pacis & vnitatis , Romam reuerti , nobisque omnia sub certa relatione debebatis referre . Et quia primam legationem vobis commissam idonee non peregistis , secundam vobis ideo committere non debebamus : tamen apostolicæ miserationis benignitate vtentes , & in hac secunda legatione fideliter perficienda , vos huic Petro religioso presbytero cardinis nostri , familiarique nostro sociamus : quatenus ea , quæ pro pace & vnitate ecclesiæ Dei agenda sunt , secundum apostolicos nostræ auctoritatis apices , & secundum <sup>a</sup> commonitorii nostri tenorem capitulatim descriptum , sagaci valde intuitu simul agatis ; & ita definiatis , vt gratiam nostram , quam prius inobedienter agendo exasperasti , nunc fideliori deuotione operando , placabilem habere possitis . Data mense Augusto , indictione XII.

## NOTA.

<sup>a</sup> Commonitorii nostri .] Commonitorium ipsum , cuius hic fit mentio , reperitur recitatum , sed a Photio falsatum , in actione secunda Synodi Photianæ , octauæ mendaciter dictæ . Quod etsi non inueniatur inter Latine scriptas epistolas ipsius Ioannis , vt ex autographo possit argui falsitatis ; tamen ex multis aliis idipsum consequi facile possumus , vt patebit infra in notis Concilii Romani sub Ioanne VIII .

## EPISTOLA CCIV.

IOANNIS PAPÆ VIII.  
AD ANGELBERGAM AVGUSTAM.

Significat se modo absoluere nelle Anspertum archiepiscopum , sed si in Synodo crimina , quæ obiiciebantur , diluerit , tunc eum excommunicatione absoluturum . ait se pro Ludouico imperatore in anniuersario eius die sacra facturum .

Dilectæ ac spirituali filiæ Angelbergæ imperatrici .

**P**ro affectu petitionis vestræ preces , quibus nos super absolutione excommunicationis Ansperti Mediolanensis archiepiscopi precata es exaudire , secundum collatum nobis ligandi soluendique diuinitus potestatem , non prætermitteremus : & maxime propter annuam commemorationem diuæ memoriae domini Ludouici , quon-